

Quaestio medica ... An specificum viperae morsus antidotum, alkali volatile? / [Jean François Clément Morand].

Contributors

Morand, Jean-François-Clément, 1726-1784.
Bertin, Exupère Joseph, 1712-1781.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1749]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gbgmpmw8>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



CELEBERRIMÆ SCIENTIARUM
ACADEMIÆ PARISIENSI,
DEDICAT, VOVET, ET OFFERT

OBSEQUENTISSIMUS J. F. C. MORAND, S. F. M. P. B.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-
tertio mensis Novembris, anno M. DCC. XLIX.*

M. JOSEPHO - EXUPERIO BERTIN,
Supremi Valachiæ & Moldaviæ Principis Medico ordinario,
& Regiæ Scientiarum Academiæ Socio veterano, Doctore
Medico, Præside.

An specificum Viperæ morsus Antidotum, Alkali volatile?

I.

VENENA, Græcis τοξία, φρυγανα etiam, sed deleteria; ea omnia non immerito dixeris, quæ sub parvâ mole, vel intùs assumpta, vel extùs applicata, naturalem corporis statum, brevi nunc, nunc tardiùs destruunt. Triplex venenorū genus pro triplici naturæ regno. Quæ vegetabili ortum del̄ent, ob ro-

A

dentem vel *causticam* indolem, ut Aconitum, aliaque plura, vel ob vim inspissantem, narcoticamve, noxia deprehenduntur. Ex mineralibus venena, acidæ plerumque sunt indolis. Quæ ex animalibus deponuntur, valdè subtilia sunt, & morsu vel pungiturâ potissimum irrepunt; hinc promptius per varias partis lœsæ contractiones, vascula minima, indè massam sanguineam permeant. Quid igitur mirum, si spiritibus animalibus permixta materies venenosa, fibrillas nerveas dolorificè admodum pungat, convulsiones à vividiori, & inordinato spirituum motu, citius excitet, omnes humores inficiantur, totumque corpus contagione labefactetur? Cujuslibet veneni non eadem est sævitia, non idem malignitatis gradus; alia magis, alia minus sæviunt. Ut diversa est partium corporis structura, sic pro diverso pariter subjectorum habitu discrepant venena; quām multiplex ac diversa latentium humorum conditio, tām dissimilis indè exorientium symptomatum ratio. Non omnes æquè vehementer eodem veneno afficiuntur, quidam levius, violentius quidam, quidam citius, tardiūs quidam. Inter animalium venena, non infimum obtinet locum Viperæ venenum, cuius etiam non eadem est in omnibus Viperis, & corporibus, energia, non eadem in omnibus Regionibus, calidioribus, frigidioribusvè sævitia; imò etiam, ex pluribus Physicis, pro animalis, plus vel minus irati, mole, colore, & sexu, variis sortitur evenus Viperæ morsus. Non ergò omni fidas remedio, sed specificum quasi habeas illud, quod tutissimo, citissimo, minusque injucundo donabitur effectu.

I I.

INTER veneniferos Serpentes, Vipera, cui vivi quos parit fœtus suum dederunt nomen, *animal est in totum perniciissimum*, inquit, *Amatus Lusitanus*. In Hieroglyphicis' etiam Ægyptiacis, periculosisimum quodlibet significat. Pluribus de ipsius Anatome & Historiâ, ad præsens institutum non pertinentibus omissis, unum ex utrâque maxillæ superioris parte, ab ipsomet ortu obtinet aduncum dentem Vipera, qui peculiari actione musculari, cum maxillæ superioris osse exteriori, antrorum protruditur. Basi illius ossis affigitur vesicula flavo liquore plena, cui annexitur *ductulus excretorius*, fibris

3

musculosis, & in longum & in circulum protensis (*a*), munitus, quarum ope è vesiculâ exprimitur succus, ab acuto, & fistuloso dente in inflictum vulnus stillans. Tanquam mera salivalis materies, à quibusdam accipitur ille liquor (*b*) cùmque absque ullo incommodo non gustatus duntaxat, deglutitusque pluries fuerit, sed sanguini etiam per aperta recenti vulnera vasa permixtus, hunc venenatum esse negant, & à solis iratæ Viperæ concitatis spiritibus, omnem symptomatum syndromen repetunt. Qui morsus Viperæ effectum aetiologicalm rimari voluerit, dentes partesque vicinas perscrutetur, hîc mali sedem, fontemque deteget. Quærenti verò, quænam sit talis veneni natura, à Viperâ demorsus inspiciendus proponatur. Acutè dolet pars læsa, incalescit & rubet, gangrenæ prænuntius succedit livor, vicinæ partes brevissimè intumescunt; his accedunt languor, totius corporis debilitas, pulsus celer, debilis tamen, & intermittens: convulsivos motus, frigidus comitatur sudor, supervenit icterus, depascens dolor regionem umbilicalem occupat: excitantur nauseæ, biliosæque evomuntur materies. Quanquam autem periculi sit plenus Viperæ morsus, non tamen trucidat semper; citius aliquandò oxyfusve apparent symptomata, & pro gradu quo cor & cerebrum virus penetravit, pro tempestatis, demorsi, mordentis, temperiei, sanguinis Diatheseos, victus, aliorumque similiūm ratione, plus vel minus exacerbantur. Sic explicabitur quomodo plura animalia post morsum spontè curata fuerint; quomodo semetipsum à Viperâ vulneratum, coram illustrissimâ Scientiarum Academiâ Parisiensi, intrâ breve tempus curaverit D. Charas. Non tamen absurdè concludam, mortem ostia pulsare, nisi remedia tempestivè adhibeantur. Sed quodnam medicamentum, tot & tantos compescet tumultus? Illud erit, quod & poros aperire, & sudoris beneficio, per patentia cutis ostiola, venenosam eliminare materiam poterit.

(*a*) M E A D. de Viperâ.

(*b*) D. CHARAS, Regiæ Scientiar. Academ. Socius.

I I I.

QU A N Q U A M nemini accuratè nota sit , & perspicua veneni Viperini indoles , de eo tamen à posteriori , ratiocinari licet ; 1º. Ex frigore morsum afflidente , ex pulsu cum quâdam mollitie debilitato , affici fluida , injectoque succo deturbata inspissari , suspicandi locus est. Assertum confirmant biliosi vomitus , symptomaticus icterus , dolores abdominis ; 2º. Genus nerveum affectum designant motus convulsivi. Quomodo autem excitantur ? quæstio sanè difficilis , & ex nervorum structurâ , cùm innotescat , facile forsitan , eruenda. In his curandis infinita propè à Neotericis instituta fuerunt experimenta. Notum est omnibus qui Viperas colligunt , Viperinâ axungiâ vulneri citò applicatâ , omnes ab hoc morsu futuros eventus præverti ; hoc specificum laudibus effert clarissimus Anglus (a). Ferrum , ad eum caloris gradum qui vix tolerari potest calefactum , applicatumque parti , tanquam eximium in hoc morbo , comprobatumque experimentis remedium prædicat D. BOYLE. Apud Americanos , pulvere pyrio super parte demorsâ accenso ; apud Venatores Pictavienses , quarumdam decoctione plantarum , levique partis lœsæ scarificatione , nulla habetur præstantior Viperæ morsûs medela. Ab antiquioribus , Viperinæ partes coctæ , felicissimè exhibebantur. Tanquam certissimum antidotum ab Anglis celebratur oleum simplex Olivarum (b) , sed à viris spectatissimis in dubium revocatur hujuscè Pharmacis vis & energia. Ignis , caustica , ligaturæ , junctæque scarificationi cucurbitulæ , ut plurimûm adhibentur. Aqua Muriatica , spiritus Vini Camphoratus , aut spiritus Theriacalis , vulneri promptius scarificando , emplastroque vesicatorio cum Theriacâ , oleo Succini & Castorei simul mixtis obtegendo , calidè applicantur. In deligatione , vulnus oleo Scorpionum , Rutæ , Chamœmeli , balsamoque Peruviano illinitur. Curationem absolvunt Alexiphar-

(a) MEAD , Lib. de Venen. Anglic. p. 29.

(b) VATERUS , Dissertat. de novo Antidoto adversus Viperar. mors.

5

maca , diversæ præparationes Viperinæ , & omnia quæ cor ad celeriores vibrationes stimulando , naturæ conatum juvare poterunt. Hinc sudorifica , & cardiaca , poris aperiendis æqualiter habilia , promiscuè usurpantur. Nec silentio prætermittenda Theriaca , quæ ex suâ ad Venena omnia , imprimis verò morsus Viperarum efficaciâ , nomen obtinuit. Sed nullum Alkali volatili datur tutius , jucundius , certiusque remedium.

I V.

SA L volatile , omnium medicamentorum nobilissimum , spiritibus quibus turget sanguis analogum , hos recreat , reficit , & nisum , quo noxia quæque amoliri conantur , roborat , intimasque corporis partes subit celerrimè , occlusas venarum scaturigines , meatus cohærentes aperit , humores concretos dissolvit , noxiosque per corporis emunctoria eliminat. Pro diversâ vulnerum & injecti veneni ratione , quantitate , qualitate diversimodè vim suam exeret Sal volatile , nunc citius , nunc tardiùs , pro variâ succorum inspissatorum indole , pro vario inspissationis gradu , sed semper felicissimo cum successu , si statim & sæpius exhibetur. Hujuscē Pharamaci in eo casu virtutem nunquam satis commendandam demonstravit experientia , teste celeberrimo Bernardo DE JUSSIEU . Vir quidam , (*) Regium Professorem unà cum frequentissimis rei Herbariæ studiosis , in agris comitans , dum Angues venabatur , in Viperam , quam primâ facie Colubrum autumavit , fortuitò incidit. Hunc infelix heu ! ex unâ in alteram manum securus transmittebat. Irâ ferox Anguis , occupat hanc morsu , lethiferamque eructat saniem , longis amplexibus alteram implicant , triplicique demum sauciat vulnere. Dolore , & intumescentiâ quæ saucios artus brevi occuparunt impulsus , undè doctrinam , hinc etiam malis medicinam quærit. Extremâ carpitur caudâ Serpens , & peritissimo defertur Magistro qui Viperam , non Colubrum pronuntiavit , nullâque relictâ morâ , alkali volatile liquidum , deinde sal volatile , intus & extus adhibuit. [Quamvis citissimè appositum fuisset remedium , gravissima nihilomi-

(*) Mense Jul. ann. 1747.

nus exorta sunt symptomata. Brachia subitaneo tumore, horrendam in magnitudinem assurgunt, unde ligaturæ ex consilio cujusdam primum admotæ, solvuntur. Nauseæ vehementes, nec non animi deliquia accedunt. Quo pernoctandum erat, ægrum recto tramite tres deduxerunt Philiatri, & Alkali volatile guttatum in vino mixtum, sœpè sœpiùs propinandum exhibebant. Lecto compositus, juscum, cui Alkali volatile adjunxerunt, sorbuit, & paulò post, delirio levi & ciborum ingestorum vomitu correptus est. Ad dolores & torpores in brachiis levandos, vulnera, & partes inflatæ, oleo Olivarum, & sale Armoniacali, hâcce nocte sœpiùs illita fuerunt. Demum post largos sudores melius se habuit ægrotans, & sex horis elapsis ita convaluit, ut postridiè, arva nobiscum, primâ luce petierit. Per plures deindè dies extus repetito sœpiùs illitu, intus sale volatili usus est. Aequè salubriter, eodem ferè processu, pari casu, adhibuit spiritum volatilem Viperæ, Doctor Medicus D. Y von, qui supradicti eventus testis fuerat.

V.

EX U L E T ergo tanta medicamentorum sylva, quæ nihil ad distinendam ægrotantium salutem, & ad Praxeos rationalis, & efficacis incrementum remorandum deterius inventari potest (a). Ad pauciorum selectorum numerum redigatur innumerabilis apparatus. A curatoriæ methodi simplicitate, curati securitas (b). Per multis & compositis indicationibus, sœpissimè pauca & simplicia sufficiunt medicamenta. Eò salubrius est Pharmacum, quod plurium & valde compositorum vires in se solo contineat. Alkali volatile, tenuissimis suis & valde pernicibus particulis, exiles canaliculos facile permeat, naturæ laboranti juvamen affert; si quid inest liquoribus, tenax, viscidum, ac solidorum oscillationibus inobediens, illud alkalium ope totidem cuneorum instar dividitur, atteritur, comminuitur. In fibrarum elatere, & liquorum fluxilitate restituendis, præcipua

(a) HOFFMANN. Med. rat. System. Tom. 3. Sect. 2. Cap. 3.

(b) Thesis D. LE THIEULLIER.

hujus morsū curatio versatur. Hæc omnia alkali volatilis usū assequeris : partes solidas quas præterlabuntur fluida, ad motum excitat , actuosis particulis sanguinem exagitat , & dissolvit , vasorum Systolen adauget , Diaphoresim promovet , & sudores. Forsan objicies , sanguinem in patellā effusum , ab alkalibus pluribus tūm fixis , tūm volatilibus oleosis inspissari (c) , sed hic effectus , ex aërearum partium miscelā oriri potest. An calorem quo pollet hocce medicamentum , noxium supponeres ? Nonne semina quædam , & fructus nonnulli , acrius os afficiunt , & tamen salubre sanguinis fervori frænum injiciunt ; sic semen Cardamomi , masticatum , calido licet donetur sapore , sitim nihilominus , in ore ipso salubriter extinguit. Quid plura ? Hujus medicamenti vim asserit experientia , quapropter ne dubites concludere :

(c) Chym. BOHERA AV. Tom. 2. p. 239.

Ergo Specificum Viperæ morsū Antidotum , Alkali volatile.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus - Guillelmus le M. Gedeon de Rabours. M. David Vasse.

Monnier , Confiliarius Medicus Regis ordinarius , Regii que Nosocomii San Germani- in-Layā , Regiarumque Francie , Londonensis ac Berolinensis Academiarum Socius.

M. Josephus Exuperius Bertin , M. Laurentius Ferret. M. Andreas-Josephus Seron.
Actus Preses.

M. Carolus Dionis. M. Joannes-Jacobus Belle- M. Thomas-Renatus Gas-
teste. nter.

Proponebat Parisiis JOANNES-FRANCISCUS-
CLEMENS MORAND , Parisinus , Saluberrimæ
Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus , A. R. S. H.
1749 , à sextâ ad meridiem.

